



## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies decimus et undecimus continentur

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1868**

De S. Michaele Aragawi Monacho Confessore In Æthiopia Ex ecclesiae  
Fastis sacris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71246)



## DE S. MICHAELE ARAGAWI

MONACHO CONFESSORE

IN ÆTHIOPIA

Ex ecclesiæ Æthiopicæ Fastis sacris.

SEC. IV.  
Sanctus, qui  
sacris Æthio-  
pium Fastis

**C**æpta Æthiopiæ conversione per S. Frumentium, plures eo monachos, partim hoc vocante, partim sponte sua, ex imperio Romano et quidem ex Ægypto sese contulisse, Jobus Ludolfus Historiæ Æthiopicæ lib. 3, cap. 3, num. 1 præfatus, insigniores illorum novem, quorum omnium fere nomina Habessinini mutarunt, nominatim recenset, primumque inter eosdem locum Sancto hic proposito, qui antea tantummodo Michael dicebatur, locum concedit. Papebrochius ad vi Junii diem de S. Bazalota sanctimoniali Habessina, Hagiol. metrico Habessino tunc inscripta, quam hujus Sancti nostri sororem existisse suspicabatur, tractans hacque occasione de dictis, qui ex Ægypto in Æthiopiam, constituta illic per S. Frumentium fide, penetrarunt, monachis sermonem instituens. Primus eorum, inquit, Michael Aragawi ab ipsis (Habessinim) dicitur, et in Hagiologio metrico ad xiv mensis Octobris, qui nobis xi dies esset, sic invocatur: "Salutem Michaeli, qui nominatus fuit Aragawi: quoniam vita ejus fuit sapientia et mors prudentia: cum eo fuit trinus et unus in essentia Deus."

exstat insertus,  
sacellumque a  
nomine suo  
dictum habet,

**2** Encomio huic, quo ab Habessinim S. Michaeli invocari Papebrochius hic ait, ad amussim consonat interpretatio, Æthiopicis, quibus id concipitur, verbis apud Jobum Ludolphum Historiæ Æthiopicæ lib. 3, cap. 3 accommodata; sacri autem ecclesiæ Æthiopicæ Fasti, secundum quorum ordinem Habessinim a Papebrochio laudatum Hagiologium metricum est digestum, ad xiv seu secundum nostrum computandi morem xi Octobris diem paucis hisce apud eundem Jobum Ludolphum verbis, Michael cognomento Aragawi, id est, Senex, Sanctum nostrum commemorant, eumque inde seu potius ex Hist. Æthiopicæ loco, quo Ludolfus, de novem fidei Christianæ in Æthiopia post S. Frumentium propagatoribus agens, primo loco hisce Michaeli accenset, sequenti isthoc, quod e Gallico Latino facio, elogio, In Æthiopia Michael Aragawi, id est, Senex, unus e novem præcipuis fidei in regione illa post S. Frumentium propagatoribus, in Martyrologium suum Universale hodie intulit Castellanus. Porro S. Michael, qui ex eo forsitan, quod jam tum, cum ad Habessinim accessit, ætatis esset admodum propectæ, Senex ab his fuerit cognominatus, non tantum in Tabulis Æthiopum sacris memoratur, verum etiam apud hosce, non secus ac alii octo, qui veluti præcipui fidei Christianæ in Æthiopia post S. Frumentium propagatores celebrantur, sacellum, uti iterum Ludolfus docet, a sese nuncupatum habet. Nec, quo mi-

mus in Opere nostro locum Michaeli concedamus, impedire nos debet schisma, quod Habessinim ab Ecclesia Catholica avulsit.

**3** Id enim post annum demum 451 seu Chalcedonense, quod tunc celebratum, concilium locum habuit: Michael autem aliique octo monachi, qui pro præcipuis fidei Christianæ in Æthiopia post S. Frumentium propagatoribus habentur, ante Chalcedonense concilium et in Æthiopiam venerunt et ibidem vita functi sunt, uti e jam nunc dicendis intelliges. Seculo v, ad mediam sui partem jam propecto, seu tunc, cum celebratum fuit Chalcedonense concilium, longe lateraque per totam Æthiopiam Christiana religio promulgata jam erat ac suscepta; ut enimvero Michael aliique octo a Ludolfo laudati monachi pro præcipuis hujus in regione illa propagatoribus, si eo demum post annum 450 advenissent, celebrandi fuisse haud videantur. Adhæc Poeta seu quod sub Poetæ nomine a Ludolfo sæpissime citatur, encomiaque sanctorum ac beatorum secundum Fastorum in ecclesia Æthiopia usitatorum ordinem complectitur, Æthiopicum auctoris incerti poema Ms. ad xiv Octobris diem Michaeli, quod operam suam ad regnum Arwe in Æthiopia destruendum contulerit, apud Ludolphum Historiæ Æthiopicæ lib. 3, cap. 3, num. 6 laudat.

ante annum  
451 seu Chal-  
cedonense

**4** Verba, quibus id illud facit, hic scriptor ibidem recitat ac deinde addit, per vocem Arwe, quæ serpentem significat, vel regnum satanæ in genere intelligit, quod propagatione Christianismi fuit destructum; vel ethnicismum Æthiopicum in specie. Nam, ut in antecedentibus diximus, antiquissimi Æthiopum serpentem pro Deo colebant atque eo alludere videtur Poeta. Postea quidem, num vocabulum serpens in sensu allegorico hic recte accepit, ipsemet Ludolfus in suo in proxime cit. Historiæ suæ Æthiopicæ locum Comment. dubitavit; verum cum Poeta regni serpentis, de qua loquitur, destructionem non soli Michaeli, sed omnibus novem fidei Christianæ in Æthiopia post S. Frumentium Propagatoribus adscribat, eum omnino in sensu allegorico seu de regno satanæ abs hisce per fidei Christianæ propagationem idololatriæque, quæ late in Æthiopia dominabatur, extirpationem in Æthiopia destructo intelligendum opinor; cum autem concilii Chalcedonensis tempore idololatria in Æthiopia dominata amplius haud sit, ac proin ob illius in hac extirpationem, si Michael aliique, qui præcipui post S. Frumentium fidei Christianæ in regione illa propagatores censentur, eo demum post concilium Chalcedonense advenissent, a Poeta supra dicto laudari haud potuissent, id sane illos ante

concilium, ino-  
tero,



A ante concilium Chalcedonense seu annum 451, imo vero jam inde a sec. iv in Æthiopiam venisse, argumento est.

etsi interim etiam sit, cur contrarium putari queat,

5 At vero, inquit, Ludolfus in suo in Hist. Æthiopicæ lib. 3, cap 3, quo, multos Roma seu ex imperio Romano monachos in Æthiopiam tempore regis Amiamidæ, Saladobæ filii, venisse, in Chronico Axumensi legi dixerat, Comment. num. 18 sic scribit: Obiter hic monemus, Saladobam et Amiamidam reges, quos hoc capite nominamus, eosdem esse, quos supra cap. 4 hujus libri Alodabam et Alamidam vocavimus; diversimode enim scribi testatur modo dictus (Alphonsus Mendezius) patriarcha. Tempus autem, quando hi Viri sancti (Michael Aragawi nempe aliique, quos loco cit. nominat, octo monachi) in Æthiopiam venerint, incertum est æque ac tempus regiminis dictorum regum Patriarchæ Mendezius putat, illos venisse intra annos quadragesimum sexagesimum vel octogesimum. Nam post Abraham et Atzbehäm, quorum tempore Frumentius episcopus ordinatus fuerit, sex imperatores in

B Æthiopia regnavisse Atzfam, Ardedum et Ameydum fratres, ... deinde Aradum et Aladobam et Alamidam, sub cuius imperio novem isti Sancti cum multis aliis monachis intraverunt. Verba Chronici Axumensis, quæ ille (nimirum patriarcha Mendezius) habet, merentur hic referri: «Tempore a (regis) a Amiamidi multi monachi Roma venerunt, qui totum imperium impleverunt. Novem ex illis subisterunt in Tigra; unusquisque ex illis erexit ædem sacram de nomine suo appellatam. Si igitur computatio Mendezii vera est, incidit adventus istorum Monachorum post tempus concilii Chalcedonensis, et sic forte persecutio, ex schismate illius temporis orta, tam multos monachos Ægyptios solum verte recoegit.

jam inde a sec. iv in Æthiopiam

6 Ita ille; verum, cum Mendezii computatio in solo tempore, quo Alamida, Saladobæ seu Alodabæ filius, sub quo multi monachi Roma seu ex imperio Romano in Æthiopiam venisse in Chronico Axumensi traduntur, in Æthiopia regnavit, sit fundata, tempusque, tam quo Alodaba seu Salodaba, quam quo Alamida seu Amiamida, in Æthiopia regnavit, sit plane, ut verbis jam recitatis Ludolfus ait, incertum, Mendezii computationem, quæ præcipuorum novem fidei Christianæ in Æthiopia post S. Frumentium Propagatorum in regionem hanc adventum post concilium Chalcedonense seu annum 451 collocari postulat, incertam pariter esse, necesse est. Neque vero Ludolfus et Papebrochius, quorum alter verbis modo huc transcriptis computationem dictam exponit, alter haud dubie apprimè perspectam habuit, moveri ea, ut vel S. Michaelis vel omnium Sanctorum illorum in Æthiopiam adventum concilio Chalcedonensi seu anno 451 posteriorem crederent, potuere. Prior enim, dum Historiæ Æthiopicæ lib. 3, cap. 3 multos e Romano imperio in Æthiopiam monachos regis Amiamidæ tempore venisse, in Chronico Axumensi legi ait, partim hosce, ipsomet S. Frumentio, qui haud diu post annum 330 Evangelii lucem in Æthiopiam inferre incepit, vocante ac proin diu etiam ante concilium Chalcedonense seu annum 451 eo advenisse, dilucide insinuat; posterior vero seu Papebrochius ad vi Junii diem S. Baza-

lotam, jam supra memoratam sanctimoniam Habessimam, ad iv seculum refert; quod utique, si S. Michaelis, cuius hanc ibidem sororem facit, seculo demum quinto, media sui parte jam elapso, seu post concilium Chalcedonense in Æthiopiam venisse credidisset, facturum haud fuisset.

ACTURE C. B.

7 Quid plura? Cum Mendezii, quam supra e Ludolfi Æthiopia dedi, computatio incerta e jam dictis sit, Ludolfo et Papebrochio, quorum prior generatim præcipuorum omnium novem fidei Christianæ in Æthiopia Propagatorum, posterior nominatim S. Michaelis in regionem illam adventum sec. iv innectendum censuit, hic standum ob rationes, num. 3 et 4 adductas, opinor, etsi interim hodie in Martyrologio suo Universali Castellanus, Mendezii forsitan supra relata computatione inductus, contrarium, uti nota in margine apposita indicat, existimavit. Tempore itaque, quo Sanctus noster in Æthiopiam venerit, ulcumque hunc in modum jam determinato, ad id modo, quod ibidem egerit, sermonem convertamus. Cum veluti unus e novem præcipuis, qui post S. Frumentium apud Æthiopas fidem Christianam propagarunt, passim celebretur, enimvero quin egregiam huic, cum in Æthiopiam venisset, quaquaversum ibidem dilatandæ operam navarit, dubitandum non est. Adhæc in Tigra, Æthiopiæ regione, quæ, quemadmodum Papebrochius ad vi Junii diem in S. Bazalota num. 2 docet, inter Tocazam fluvium et mare Rubrum infra decimum a circulo æquinotiali gradum sita est, potissimum substitit, ibidemque primus, si Ludolfo fides sit, monachorum, quos et ipse monachus, verosimiliter vel ad S. Antonii vel ad S. Pachomii disciplinæ normam informavit, abbatem seu præsulem egit, ac tandem diebus et meritis plenus ad Dominum migravit, cum nondum adhuc id ipsum, quo in Æthiopiam venerat, seculum iv esset elapsum, uti suadent, quæ subjungo.

venit ibidem- que vitam

E

8 S. Frumentius, a S. Athanasio, patriarcha Alexandrino, circa annum 330 episcopus ordinatus, haud diu admodum post ex Ægypto in Æthiopiam profectus, ibidem quaquaversum Christi fidem amantiait, cumque aliquot annis post e jacto Evangelii semine copiosa ibidem messis exsurrexisset, nec multi, qui hanc colligerent, operarii existerent, eo ex Ægypto, quo Frumentio opem ferrent, medio circiter, ut verosimile apparet, sec. iv supra memorati novem, qui præcipui fidei Christianæ in Æthiopia post S. Frumentium Propagatores fuerunt, sancti Monachi, ac proin, qui eorum unus existit, S. Michael sese contulerint; quare cum hic jam tum, uti vel ex eo, quod Habessini, qui e dictis nomina illorum mutarunt, Aragawi seu Senem eum appellarint, colligendum apparet, prorectæ ætatis exstiterit, consecrarium fit, ut verosimiliter vitam, currente adhuc eodem, quo in Æthiopiam venerat, sec. iv, terminavit, nisi forsitan, fuisse eum, quod tamen mihi minus verosimile apparet, ab Habessinis, non quod jam tum, cum in Æthiopiam venit, prorectæ ætatis exstiterit, sed quod postea ibidem ad magnam senectutem pervenisset, Aragawi seu Senis appellatione fuisse distinctum, quis celit.

eodem sec. iv terminavit.

F

DE